QVÆSTIO MEDICA
QVODLIBETARIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA
IN SCHOLIS MEDICORVM, DIE IOVIS XV. DECEMRIS,
M. CLAVDIO LE VASSEVR Doctore Medico, Moderatore.

873

An Criſes his ſæculis quàm olim rariores?

NATVRA dum valet, ſuas omnes ad ſalutem animantis functiones obit immutabili conſtantiâ. Ex cibis ingeſtis idoneum partibus concoctione præparat humorem, præparati portionem vtilem & familiarem ab inutili ſecernit, illam deducit & exportat in partes, earum ſubſtantiam ſuprema concoctione mox futuram, hanc in ea, quæ huic muneri deſtinauit, conceptacula recondit, donec per vias conuenientes foras exturbet. Quem ardenti ſtomacho hærens cibus imperfectus, languorem pepererit, hunc, niſi noui exhibitione cibi diſtrahatur, perfectè ſummouet; ac ſi quid crudi congeratur humoris, qui eas meſenterij venas, per quas in iecur chylus traducitur, inferciat, hunc ſubigit, mutat, coquit aut mitigat: quin & impuros humores, omnium fere morborum cauſas continentes in vaſis maioribus concluſos, aut in cauis viſcerum deliteſcentes, veniſque minoribus coërcitos priſtinæ reſtituit bonitati, lentos deterget, craſſos incîdit, compactos imminuit & variè diſiungit, ferocientes, turgentes & quoquouerſum impulſos compeſcit, exuſtos blandè repurgat, & quouis alio modo contaminatos, niſi quid peccatum fuerit quod eius geſtiones interpellet, ab vtilibus ſegregat, ſecretos per cæcos aliquando arctóſque receſſus extrudit, ſæpius per ductus tritos & idoneos bonis ægri rebus excernit: hinc illæ in morbis ſubitæ ad ſalutem ægrotantis præter ſpem imperitorum mutationes, in quibus quamuis humorum ſarcinâ vel pernicie proſtrata natura viſatur, aut terrificis morbus vrgeat ſymptomatis, collectis tamen vndique viribus humore ſuperior morbique dominatrix exiſtit.

INSIGNES illas citáſque mutationes, quas in morbis natura molitur, die vtplurimùm impari, non à Luna, non ab alijs ſideribus occultáve alia vi, quâ dies vnus præ cæteris polleat, ſed ab humoris melancholici cum alijs permiſtione, accerſito ſubſidio, retardant aut humor lentus, craſſus ac viſcidus, qui diuturnos & naturæ ſuæ conſentaneos morbos inuehit; vel partis ipſius, in qua morbum committens humor continetur, frigidior intemperies: quippe tum efferi prorepunt in venas, & apparatos humores inquinant, aut concitati & turgeſcentes huc illuc proprio feruntur impetu, dum in partem principem, quam ſæpius obruunt, inſiliant, vel in ignobilem, abſceſſum facturi decumbant; vnde mori ocyùs ægrotantes contingit, aut ſenſim humore mitigato, morbo defungi.

AETAS parentum peior auis, tulit nos nequiores, mox daturos progeniem vitioſiorem. Quale parentum ſemen, dum generant, obtigerit, tales euadunt ſpermaticæ partes, in quarum proba temperie & ſpirituum puriorum vbertate virium robur & firmitudo maximè conſiſtit. Has ſemen imbecillum & languidum frigidiores gignit & imbecilliores, morbis non ſolùm ijs, qui quòd cum ſemine transferantur in prolem, hereditarij dicuntur, ſed & pluribus alijs obnoxias; craſſum, ſpumans & ſpiritibus ex toto confluentibus turgidum vegetas atque robuſtas, quæ tum internarum, cùm externarum injuriarum quibus laceſſuntur, vehementiam retundant: filij quàm patris ſemen frigidius minori ſpirituum eorúmque impuriorum copiâ perfuſum, liberos generat vitioſa conſtitutione, quâ tandem in morbos plures eóſque diuturniores, mali moris & pejores incurrant. Pueri nunc morbis conflictantur ijs, qui ante pubertatem temporibus Hippocratis, vix vnum aut alterum inuaſerant, & quos olim extrema ſenectus reſoluebat expectantes, hos nunc accerſita mors aufert.

PRISCORVM vita ſimpliciori ciborum apparatu, cæterarúmque rerum non naturalium vſu moderatiori frugalior, morbos pertulit pauciores, quorum diuturni ſenſim concoctâ & depulſâ materiâ morbificâ ſummouebantur: acuti bonâ, abſolutâ, fidâ, tutâ, cum ſignis & manifeſtâ criſi ſoluebantur: noſtra deliciarum cupida, inuenit aliquid tenerius & mollius quo periret, & per quæ robur omne proijceret, ingenioſè commenta eſt: inde mali caput, & morbi peruicaciores plures emerſere: quorum qui chronici, ſponte rarò ſaneſcunt, ſæpe deſinunt in abſceſſum: qui acuti, vel citò perimunt ægrotum, aut ijs criſibus, quales ſexto die fieri ars notauit, judicantur: imperfectâ, quæ nonnihil humoris noxij morbum recidiuum facturi, relinquit: incertâ, quæ recidiuæ metum non adimit: periculoſâ, quæ ſæuis comitata ſymptomatis ægrum miſerè diuexat: obſcurâ, quæ vel citra peccantis materiæ excretionem fit, aut exiguam tantùm eius portionem detrahit: ſine ſignis, quam dies indicatorius futuram non præmonſtrarit: malâ, quæ in ægri perniciem omnino deſinat.

HOSCE motus omnes inchoatos & mancos effecit ægrotantium intemperantia, naturam morbifici humoris concoctioni totam incumbentem aliò auertens: naturæ ipſius jam ad exitum vergentis quàm ſuperioribus ſæculis ortui proximioris major imbecillitas: acceſſionum vis & inſultus effrænatior fractam ipſam atque debilitatam omnino proſternens: imperitorum circulatorum impune graſſantium error, qui quod eſt conueniens remedium, vt natura leuetur oppreſſa, onerifve cui ſuſtinendo impar euaſit, portio detrahatur, perſpectum non habent: clinicarum mulierum, quas ægri ſæpius in ſui perniciem audiunt, inſulſa temeritas: adhæc ægrorum aut aſſidentium, conſilijs Medicorum morem minimè gerentium, imprudens pertinacia, qui toties venam ſecari extra diem criticum, (in quo neque venam tundere, neque purgans medicamentum exhibere fas eſt,) quoties humorum inquinatorum immodica copia ſuaſerit, non ſinunt, nec blando cathartico colluuiei putris aliquam portionem ſubduci ferunt, quo faciliùs reliquam natura ſuperet & concoquat, coctámque ſecernat, vt ſubita fiat ad ſalutem mutatio, quæ vera criſis & ſalutaris perhibetur.

Ergo Criſes his ſæculis quàm olim rariores.

Proponebat Lutetiæ STEPHANVS LEGAIGNEVR Pariſinus. A. R. S. H. M. DC. XXXIX.

DOMINI DOCTORES DISPVTATVRI.

M. Ludouicus Renouard.
M. Petrus le Comte.
M. Mathurinus Alton.

M. Franciſcus Blondel.
M. Lancelotus de Frades.
M. Iacobus Mantel.

M. Nicolaus Henaut.
M. Ioannes Couſin.
M. Gabriel Biard.

Patho